DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-secundâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

PRÆSIDE,

M. Michaele-Philippò BOUVART, Regii ordinis Equite, Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico.

An ulcus inveteratum, si exaruerit, arte renovandum?

I.



COMMUNE est omnibus ægris votum, ut morbo liberentur. Quibusdam tamen optandum est, ut morbi beneficio frui nunquam desinant, illorumque curationem tentare Medico nefas. Quippe non rarò, ex ipsâ ægritudine, salus. Hoc præsertim de plurimis externis affectibus intelligendum est, passimque Medicis observandum occurrit. Sic, v. g., aliquando arthriticus humor, in variorum viscerum textu *cellulari*, aut *capillaribus* latens, eorum functiones diu larvatus lædit & perturbat, variosque mentitus morbos, Medicorum sagacitatem eludit. Deinde, subitâ & inexpectatâ naturæ vi, illius humoris in membrorum articulos fausta fit metastasis: tument, rubescunt, dolent manus, genua, pedes: vera innotescit præcedentium malorum causa: caput, pectus, abdomen liberantur, & ægro Medicus in tutò vitam esse gratulatur. Quamdiu sic acris illa materia procul à centro amandatur, & in extremos artus propellitur, diris quidem circa illos cruciatibus æger obnoxius fit; sed vitæ incolumitas magna illi doloris compensatio est. Si verò illa materia, intus generari pergens, vel, ob vim vitæ deficientem, in extremas corporis partes rejici desinat, vel funestâ delitescentiâ ex his in internas refluat, brevì functiones perturbantur: inde phrenitis, apoplexia, carus, paralysis, dementia, hebetudo, angina, peripneumonia, pleuritis, cardialgia, cholera morbus, iliaca passio, tormina, nephritis, urinæ retentio, variorum viscerum inflammatio, eorumdem obstructio, humorum congestio, tandem fere omne malorum, tum acutorum, tum chronicorum, genus. Hinc tanti est, ut vel levissimi arthritici tumores nec sponte delitescant, nec præposterâ medelâ repercutiantur.

Similiter, dum erysipelas, varii herpetes, scabies, &c. in cute efflorescunt, sæpe diuturni & graves morbi solvuntur; iisdem verò deficientibus, aut evanescentibus, pessimi ominis mala succedunt. Causâ morbificâ tunc intus refluente, vel actio viscerum citò obruitur, & cum vitâ cessat; vel, eâ languente, sensim cum lentâ morte misera vita mutatur.

Idem de plurimis effluxibus, idem de inveteratis ulceribus dicendum. Nimirum hæc, five continuam, five periodicam depurationem faciant, ex eo ipfo, quòd diu perftiterint, prophylactica habenda funt. Hinc iis femper favere, nunquam nocere Medici prudentis eft. Hinc illa, fi exaruerint, citò renovanda. Quæ quidem doctrina ratione, analogiâ, experientiâ confirmatur.

I I.

NOSTRO propofito 1°. ratio fuffragatur. Nimirum vel illa ulcera (fi fponte orta fuerint) olim ab humorum pravâ indole originem duxerunt; vel (fi externam caufam habuerint) humorum deinde vitio in annos, invitâ arte, protracta funt; vel ipfa, ob venenum ab extrà fufceptum, incuriam, vel remedia temerè adhibita, fordida & maligna, fanguini & lymphæ priùs non inquinatis, ichoris, puris, faniei reforptione pravam diathefim communicaverunt. In quâcunque hypotheli patet naturam iis uti ad humores craffis, acribus, heterogeneis moleculis expurgandos, & quo magis diuturna harum verfus illa derivatio fuit, eo majus periculum effe, fi his illa via patere definat. Semel enim hâc occlusâ, miafmata impura, excerni folita, in corpore retinentur, accumulantur, *circulationis* torrente, vel textûs *cellularis* viâ, huc & illuc feruntur, variorum organorum minimis tubulis aut cellulis hærent, in iis obftructiones, inflammationes, fuppurationes, gangrænas excitant. Inde phthifis pulmonalis, icterus, tabes hepatis, lienis, mefenterii, &c. innumeri alii morbi, pro variâ parte corporis obfeffâ.

Quibus ergo contigit veteri ulcere liberari, tali bono diffidant; Medicufque omnium, quæ tunc portenduntur, malorum femper memor, curam omnem impendat, vel ut metaftafim in vifcera præcaveat, vel ut jam factæ medeatur. Quânam autem arte id peragat, ratio docet. Nimirum fit naturæ minifter & adjutor: quam illa diu affectavit, viam illi rurfus aperiat, & quò vergere vifi funt, humores eò reducat. Minimè fidam cicatricem evertat: cutem ftimulet, irritet, erodat, donec fuppreffum effluxum ad genuinum fontem revocaverit.

I I I.

QUOD ratio docet, illud analogia indicat. Lex eadem efto de folito ulcerofæ materiæ fluxu, ac de cutaneis affectibus, de rheumaticis aut arthriticis artuum doloribus, plurimifque variæ indolis effluviis. Quos porrò horum omnium fuppreffio, delitefcentia, aut ceffatio morbos induxerunt, illos, iifdem naturâ vel arte reftitutis, planè penitufque folvi videas.

Sic, v. g. nonnulli, quibus fœtidiffimum humorem pedes exfudare folent, fi quâlibet de causâ ceffet hæc exfudatio, morbificas in corpore mutationes experiuntur, de capitis, aut membrorum gravitate queruntur, &c. &c. pedibus autem iterum & pariter fudantibus, priftina illis valetudo reftituitur.

Sic plurimi, quos per hæmorrhoïdes purgatio diuturnis languoribus liberavit, fi fortè illa fupprimatur, vel iifdem affectibus iterum obnoxii funt, vel aliis anteà ignotis, fæpèque gravioribus affliguntur; fi verò vel illa fponte redeat, vel artis auxilio revocetur, jam hepar, aliaque vifcera fuperflui fanguinis mole allevantur, operibus fuis alacriùs vacant, fanitafque optata redit.

Ita etiam quotidie multi, morbis vel graviffimis, in quos ex aliquâ cutaneâ eruptione delitefcente inciderant, feliciter & citò liberantur, fi vel eadem eruptio, five fponte, five artis ope, rurfus in cute appereat, vel ipfi Medicina falutarem paret exitum. Talium curationum innumera exempla, tum in authorum fcriptis leguntur, tum paffim in praxi clinicis occurrunt; neque femel ipfa phthifis, quæ etiam confirmata jamque om-

nino desperata videbatur, Medicis mirantibus perfectè sanata est, cum *vesicatorii* aut cauterii ope materia *herpetica*, aut similis, pulmonem obruens, ab eo ad cutem faustâ revulsione averteretur.

Mirandum verò imprimis est quam felici successu gravissimos sæpe affectus & immanes in corpore tumultus Medicus compescat, arthritici humoris quantitatem vel exiguam, in pristinam sedem, v. g., pedem, è quo evaserat, arte revocando. Eâ de re incredibilia leguntur & observantur; neque conscribi indigna sequens observatio forte videbitur.

Mense Novembri anni 1763, in urbe San-Dionysio, fœmina quædam cælebs, circiter quadragenaria, in pedis pollice levissimum dolorem sine rubore & tumore sensibili percepit. Cum nulla de arthritide suspicio esset, nec unquam hoc morbo afflicta fuisset, cuidam pollicis distorsioni dolorem attribuit, balsamumque, olei viridis nomine, huic applicuit. Post paucos dies dolores colicos acerbissimos cum enormi vomitu experta est. Adhibitis, sub formâ quâlibet, potûs, clysmatum & cataplasmatum, variis lenientibus, emollientibus, temperantibus, anodynis, per tres dies continuos adeò non mitescebant symptomata, ut contrà exacerbarentur. Tandem, quamvis pollicis dolor neque gravis, neque diuturnus fuisset, vixque ab arthritide oriri potuisse videretur, sinapismo applicato, omnia symptomata per noctem remissa sunt, sicque, humore arthritico ad priorem sedem revocato, ægra posterâ die perfectè convaluit.

Inde profectò quid in antiquo ulcere exsiccato Medico sit agendum, ex analogiâ patet.

IV.

QUÆNAM autem medendi ratio tunc institui debeat, ipsa experientia clamat. Nemo certè clinicus est, cui, rebus ità se habentibus, restituti effluxûs utilitatem & efficaciam, funestos verò non restituti effectus observare non contigerit; sed, ne in proferendis exemplis prolixiores forte simus, sequens pro sexcentis habeatur.

Mense Aprili anni 1760 quidam sexagenarius degens in Parochiâ *Ver*, è Diæcesi Constansiensi, cum in agro solitis operibus vacaret, & sibi de optimâ valetudine gratularetur, repentè sensûs expers & quasi mortuus humi procubuit; mox in lecto repositus, per plures deinde dies, auditu, loquelâ, visu prorsùs aboletis, nullisque eum remediis exsuscitantibus, jamjam moriturus videbatur. Quartâ die ad eum vocati, cum præteritorum inquisitione tam subiti tamque gravis cari causam investigaremus, nihilque ab astantibus, unde illius causæ diagnosis erui posset, audiremus, forte advenienti Parocho non abs re visum fuit nos monere, hunc ægrotum, ante viginti & quinque annos, à rabido cane in crure demorsum fuisse; succedens vulneri ulcus postea per plures annos continuò perstitisse; deinde, cicatrice obductâ, identidem quolibet anno sponte renovatum fuisse; tandem periodicè recruduisse; jamque plurimis ab annis, unoquoque duntaxat vere, per quindecim circiter dies, ichoris quamdam copiam emisisse; solitum hunc effluxum hoc ipso anno, tribus aut quatuor ante morbi insultum diebus incepisse, ipsâ verò insultus die suppressum fuisse. His auditis, cruris inspectione de re certiores facti, jam neque de morbi causâ, neque de apponendo remedio dubitavimus. Statim ipsi ulceris loco *vesicatorium* applicatum est. Post paucas horas sensim evigilavit æger: postridieque, copioso effluxu per artem sic restituto, nulla prorsùs morbi vestigia remanebant.

Sic quod ratio docet, analogiaque indicat; experientia confirmat.

V.

AT inquies, resorpta ex ulcere materia per diversa corporis excernicula, cutem; renes, intestina, &c. à naturâ eliminari poterit. —Sed illa eliminatio penitùs incerta est; nova quælibet humorum determinatio difficilis, lenta, minimè tuta est.

Facile eſt, (urgebis) illam determinationem diureticis, purgantibus, diaphoreticis adjuvare & accelerare. —Memineris Medicum naturæ moderatorem non eſſe, ſed miniſtrum atque imitatorem. Eſto tamen quòd nociva materies arte ſubigi & amandari aliquandò poſſit; ſed cum in illâ amandatione tentandâ naturæ conſuetudini & voto Medicina contradicat, periculum erit ne ex hujus & illius quâdam pugnâ naturales in corpore motus perturbentur, & ex perturbationibus animalis œconomia vitietur aut ruat. Dubia igitur utriuſque, per naturam, aut artem, dictæ eliminationis via. Quod verò dubium eſt, ubi quid certius datur, à prudenti Medico nunquam expectari aut tentari debet.

Sed perges, ulceris inveterati ſpontanea exſiccatio materiæ morbificæ tandem exhauſtæ indicium eſſe poteſt; ſupervacanea eſt igitur effluxus revocatio. —Imò verò talis exareſcentia naturam humoris vel copiâ vel malignitate oppreſſam, vimque vitæ huic expellendo imparem factam, ſignificare ſolet. Illud triſti quidem ſed invicto argumento probant languor, pravus habitus, corporis gravitas, functionum inertia, humorum ſtagnatio & congeſtio, pedum tumefactio, œdema, anaſarca, pectoris hydrops, aſcitis, denique mors huic exareſcentiæ ut plurimùm ſuccedentes.

Ulteriùs tandem inſtabis. Fortè ulcus ſitu ſuo maximè incommodum & moleſtum eſt. Tunc ſaltem minimè illud renovandum; ſed in aliâ corporis parte, commodâ magis & conveniente, fonticulum inſtituere ſatius eſt. — Caveas verò ne ſic nimis ſerò exitus humori pateat. Longa nimirùm, ſæpeque difficilis fonticuli inſtitutio. Non niſi ſucceſſivè & lentè illuc derivandi humoris effluxus determinatur, & quandoque minimè obtinetur. Intereà metaſtaſis in viſcera fieri poteſt. Huic prudens occurre. Eſto alibi fonticulum aliquando inſtituas; ſed, donec ſufficientem humoris copiam emittere aſſueverit, ex ipſo ulcere humor educatur; remedia in hunc finem cathe etica, epiſpaſtica, cauſtica, citò apponantur; ſicque viâ breviore, citiore, tutiore malum imminens vel jam præſens avertatur.

Ergò ulcus inveteratum, ſi exaruerit, arte renovandum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Sanctus-Ludovicus* GUINDANT, *è Regiâ Scientiarum Societate Monſpelienſi.*

M. *Antonius-Laurentius* DE JUSSIEU, *Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*

M. *Michael-Joſephus* MAJAULT, *Antiquus Regis Exercituûm in Germaniâ Medicus.*

M. *Philippus-Alexander* BACHER.

M. *Joannes-Jacobus* NOLLAN.

M. *Gaſpardus* COCHON DU PUY, *Regii ordinis Eques, Regis Conſiliarius & in Arce maritimâ Rupifortenſi Anatomes & Chirurgiæ Profeſſor Regiùs.*

M. *Claudius-Andræas* GOUBELLY.

M. *Benjaminus-Michael* SOLIER DE LA ROMILLAIS.

M. *Jacobus-Albertus* HAZON.

Proponebat Pariſiis THOMAS LE TENNEUR, Gaveræus Conſtanſienſis; Doctor Medicus Cadomenſis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Autor, A. R. S. H. 1774. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.